Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 137

Quelle:
Copyright:

moriam conſulerem repente ſompnus obrepſit &c. Adſtant dormienti *Cicero*, *Seneca*, aliique ſacri et profani Morum Doctores, e quorum effatis vigil praeſens Opuſculum contexit. Sub *Praef.* finem virum illum, quem adloquitur, laudat, *quia nec vehemens tumultus huius perniciosiſſime ſedicionis honeſtatis tibi curam excutit.* Titulus I. inſcribitur: *De triplici capiendi conſilij deliberacione*, et incipit: *Triplex eſt capiendi conſilij deliberacio.* &c. II. *De honeſto et eius partibus.* III. *De prudencia.* IV. *De iuſticia* &c. In margine Autorum, quorum uſus eſt, citantur nomina, quos inter *Saluſtius*, *Salomo*, *Boecius*, *Juuenalis*, *Terencius* &c. Finis: *ſed rei magnitudo uſum quoque et exercitacionem deſiderat. Explicit.*

VI. *fol.* 96. Excerpta e *Cicerone de Amicitia*, *de Senectute*, *de Officiis*, *Precepta Pittagore*, *de Dictis Boecij*, *Dicta diuerſorum Philoſophorum*, *Auctoritates beati Jeronimi* ſane multae, *Sentencie ſiue auctoritates beati yſidori*, et alia leviora, inter quae *Confeſſio et quaſi ad deum oratio*, et alia quaedam Oratio *de Cruce*, quam *Karolo magno* a *Leone Papa* miſſam adfirmat Librarius.

VII. *fol.* 125. p. 2. *Johannis* cujusdam Tractatus aſceticus de Profectu Spiritus, ejusque adminiculis, qui infit: *Gratiſſimo mihi in chriſto Symoni nepoti meo. frater Johannes ſeruus inutilis ſolo nomine et habitu religioſus ſalutem et de bono ſemper in melius proficere. Magnam mihi leticiam tue dilectionis ingeſſit epiſtola que te virtutum et eterne vite deſiderium habere deſignavit* &c. Tractationis initium: *Sicut immenſa gloria fideliter in religione ſeruientibus* &c. Finis: *ſed amico petenti ſatisfacere uolui. Vale in deo ſalutari noſtro.*